


nis capacitatem decidunt.

P R O G N O S T I C A. Aqua inter cutem laborantibus, vlcera in corpore facta, difficulter sanantur, propter nimiam humorum abundantiam. Quicunque suppurati, aut aquam inter cutem habentes vruntur, aut secantur, si aqua, aut pus vniuersum effluxerit, omnes moriuntur. Aqua inter cutem laborans si à tussi habeatur, aut si postquam sectus est malum redeat, desperatus est. Omnia periculosissima tympanites est, secundum locum obtinet ascites, anasarca verò ceteris facilior est curatu, significatur enim robur naturæ, cum ad omnes partes diffunditur id quod noxium est. Omnes autem inueteratae hydropses, & quæ iam habitum corrumpunt, sunt periculosissimæ, neque nisi cum magna molestia discutiuntur. A tumore duro iecoris vel lienis si fiat hydrops, insanabile fit malum. Phthisici hydropem incurunt magna ex parte, eò quod iecori malum communicetur; eluuies enim sa- niosa atque virulenta viam inueniens, in iecoris sub- stantiam diffusa aliquando obhæret, eiúsque substan- tiam corrumpit.



Methodus pro curatione

HYDROPIA IN SER- VIENS.

*Perficitur autem subsequentibus remediorum ge-
neribus.*

VICTVS RATIONE.

A Et lucidus sit in quo æger versatur, modicéque ad calidum atque siccum declinet; morbum enim auget humidus ventolusque aëris.